genda

anea

PATERNA FÆLICITAS

Clariſsimo ac doctiſsimo Viro

D. ANDREÆ WOLFOWIC

Philoſophiæ & Medicinæ Doctori digniſsimo

D V M

Venerabilis Filius Suus

MARTINVS STANILSAVS

WOLFOWICZ

Artium Magiſter & Philoſophiæ Doctor

In Aulá D. Iagellonis

renunciaretur.

A

IOANNE GRYNWALDT LEOPOL.

Artium & Phil: Baccalaureo reuerenter oblata.

Anno Domini 1638. Menſe Aprili Die 17.

CRACOVIÆ,

In Officina Typograph: Martini Philipowſki,

Anno Domini, 1638.

CICERO IN ORATIONE
Pro Rabirio.

HOc generi hominum propè naturâ datum, vti quâ in familiâ laus aliqua forte floruerit: hanc ferè qui sunt eius stirpis, quod sermo hominum ad memoriam Patrum virtute celebretur, cupidissimè persequuntur: Siquidem non modo in gloriâ rei Militaris Paulum Scipio, aut Maximum Filius: sed etiam in deuotione vitæ genere mortis imitatus est Pub: Decium filius.



PATERNA FÆLICITAS.

OFficiosa elogia & illustres laudationes, virorum Eruditionis & sapientiæ numeris absolutissimorum instituere, in iisq; condecorandis desudare velle; Clarissime Domine non tantum operosum esse scio; sed & ab ingenio meo, & à dicendi facultate, ætatis immaturitate, studiorumq; meorum contentione alienissimum, & video & tacitus ipse apud me decerno Nihil enim profectò in vitâ difficilius cogitari potest, quàm virum sapientem in eâ fælicitate cognoscere collocatum, quâ nulla maior aut illustrior cogitari potest, quem non nisi ab alio sapiente, aut detegi, aut cognosci, aut per amorem illustrari posse, sapientissimè affiirmauit Xenophon. Nec immeritò, communiter enim Doctorum virorum vestigiis à tergo veluti insistendum esse

 acce-

accepimus, ne obuiam euntibus, aut illa vultus maiestas, aut Doctrinæ lux, animiq; splendor insolitus, aciem præstringat oculorum. Vnde & mihi fortè laudabilius foret, Tuam C. D. eruditionem, cum debità potius veneratione suspicere, quam verò laudationis onus, in tantâ dicendi tenuitate suscipere. Si quidem, & tibi longê ampliora laudum & honoris crescerent incrementa, si parem, qualem semper Tuæ doctrinæ amplitudo, negotijq; dignitas requirit, Eruditionis testem, & laudum inuenires præconem. Multò enim & luculentius, & facilius, aut ex disertioribus Tuam meriti virtutem, aut ex paribus Tuæ quoq; fælicitatis alumnis, posses concipere voluptatem. A laudatis enim semper gloriosiùs est laudari viris. Sed, ne dubita C. D., Tibi in hoc fælicitatis passu, magnorum etiam virorum defuturas gratulationes. Viro enim naturâ bono, & uirtute præstanti, qualis tu & mereris & haperis, faustißima viri quoq; præstantes, præ-

stant

ſtant encomia, & ſecundis rebus vtenti, officioſiſsime gratulantur. Verum enimuerò neq; mihi Tuâ animi magnitudine, in tantâ rerum proſperitate, adeò grauis videri debes, quin hoc etiam meum in Te, Tuamq; præclaram ſtirpem, velut Themiſtocleum fælicitatis, libens & lubens excipias acroama. Delectat enim mirum in modum, eos qui gloriâ & famâ ducuntur, à minoribus etiam profecta laus. Quodſi contempſeris (quæ Tua eſt animi magnitudo Tuorum elogia meritorum) non tamen reſpuere penitùs debes, boni in Te affectus, & promptitudinis teſtimonia, quæ meus Tibi ſubmiſſè propinat candor.

Si lumina illa antiquitatis & ſapientiæ, inſpexerimus Philoſophos, ab iisq; inquiſierimus, quod nam illi fælicitatis, aſsignarent recorditorium, quis eſſet certiſsimus & perfectiſsimus conſumatæ beatitatis humanæ ſcopus, procul dubìo in hac perplexâ & abſtruſâ diſſertatione hallucinarintur. Crates ille Philoſo-

losophus, anchoram fælicitatis, prosperam nauigationem constantissimè affirmauit. Et nemo profectò infitias ibit eum vel minus fæliciter, vel nunquam nauigasse, qui sollicitus & anxius, credo dolore proiectæ in mare pecuniæ perculsus, in portu consederit. Potest ne tamen hoc Cratis oraculum, rectè fælicitatis sibi vsurpare nomem? cuius neque ad fælicitatem cursus, fælix iudicari potuit? quis vnquam inter spem & metum, aliquem constitutum, fælicem extra portum iudicauerit? qui vt aliquando fælicitate potiretur, volubili fortunæ, fluctibus & tempestatibus, vitam fortunasq; commisit. Neq; tuam Archita, de fælicitate suscipimus sententiam, quam in cæde, & sanguinis effusione, & victoriarum multitudine constituisti. Quæ enim est illa fælicitas? ad cuius acquisitionem, galeâ & loricâ & ancipitis fortunæ aleâ opus est. Neq; Tuus Chrisippe, in extruendis splendidis ædificiis, placet luxus, in quo Tuam condidisti fælicitatem, cui

con-

contra animi votum negatum est diu viuere. Et quæ tandem illi sapientiæ Magistri, non confinxerunt sibi sælicitatis figmenta. Quod quisq; præcæreris petijt, id summum esse existimauit bonum, ex quorum ego opinionibus, Tuam C. D. non metiar fælicitatem. Ex armis alij petendam arbitrantur, sed victoria sit dulcis fortibus. Cumulos diuitiarum gradum fælicitatis constituunt; optima sunt ista, sed consequentia non consumantia summum bonum. Soli illi mihi summâ fælicitate niti videntur, qui non alijs quàm ingenij sui viribus, possesione sapientiæ, ad gloriam, & veram fælicitatem contendunt. Et quoniam gloriæ cursus, semper est sempiternus, ideoq; fælix censendus est; quis Tuam contentionem, non summæ asseruerit fælicitati? qui ad ea Te statim contulisti sapientiæ studia, in quibus, & gloriæ, & fælicitatis, merereris stipendia; ratus, nihil ea splendoris & ornamenti adferre, quæ extra hominem posita, fortunam tantum

& con-

& conditionem, non hominem exornant: atq; adeò Academicis honorum titulis (qui iure quodam hæreditario filijs in patrimonium cesserunt) satius existimasti condecorari. vnde grauissimè sapientissimeq; Sigismundus Imperator, videtur iudicasse, qui Principes nasci, vel Imperatorum beneficio creari, vtrumq; à fortunæ arbitrio vel hominum gratiâ dependere affirmabat. At vero quod Docti viri, ingenij quadam vi, & Eruditionis dignitate, laureas in Academiæ spatijs obtinerent, quod Artium Magistri, quod Doctores crearentur, hoc ad solam virtutem, & animi diuinitatem omnino esse referendum putabat. Et merito, accendi enim, & feruentiori gloriæ incitari stimulò, ad discutiendas animi tenebras, mentemq; densissimâ occupatam ignorantiæ caligine, Eruditionis, sapientiæq; lumine illustrare posse, diuinitatis quoddam est argumentum. Diffiicilis enim est eruditionis reconditæ possessio, nisi honesti stimulus perfodiat pectus, &

gen-

generosus ardor, ad gloriam, sopitam mentem accendat. Atq; ideo fælix, cui munere Diuum sapere concessum est. Vt cum sapit, hoc agat, vt libens animum solidiori cogitationi intendat, illamq; tandem, quæ animi lumen & oculus est, post tot labores, & vigilias lucretur sapientiam. Cuius tanta vis est, vt sola per se, homini calamitatibus obruto, voluptatem largiatur. Vt enim sine oculis, non potest extare munus & officium oculorum ita absq; prudentiæ præsidio, hoc diuinitatis munere, hominem, animo cæcutire foret necesse. Et, ne quanto animus præstantior est cæteris functionibus corporis, tanto error animi grauior sit, Tu clarissime Domine optimum & præsentissimum, Tuæ menti; apposuisti remediū, cum in hac eruditionis Palæstrâ Crac. Acad: honostissimis incumbens studijs, primam hanc bonæ gloriæ, accendisti facem, cum in Artium Magistrum & Philosophiæ Doctorem, renunciari meruisti. et velut è nau-

fragio, ad prudentiæ & fælicitatis portum appulisti. Sed excelsus animi Tui ardor istis non potuit contineri cancellis: exigebat enim, vt adhuc & à Patriâ ad tempus abesses, vt hoc etiam cursu ad fælicitatem contendisses. Et ipse enim Vlisses fortè inglorius in otio & tenebris letuisset; nisi istud quoq; quærendæ fælicitatis studium, admouisset; neq; illam quam assecutus est immortalitatem, meruisset. Quod immortalitatis studium, memorabilemq; sapientiam, Homerus; hoc etiam insigniter carmine illustrauit.

Qui multas Ciuitates & populos circuiuit.

Vnde Claris: Domine, celebrem Te & Vlissis laborum præstitisti imitatorem, & æmulatorem: non quidem Cyclopum specus adeundo, non ad inferos remeando, non Scyllam & Charybdim præternauigando, non Lotophagos visitando, sed illis animum consecrando scientijs, in quibus, cum tot periculosissimos scopulorum anfractus, in reconditis mysteriorum naturæ se-

cre-

cretis penetrasti, syderumque motus, cursus & recursus, fælicissimâ ingenij bonitate superasti. Magnum Tibi honorem, & admirationem apud exteras nationes, ob incredibilem ingenij velocitatem, & prudentiæ dignitatem comparasti. Ex quâ laudis accessione, nihil sibi fortuna vendicat, totum quantumcunque illud est, Tuum est, vel Diuinæ potius in Te benignitatis munus, quod quia nactus es: ad portum perpetuæ fælicitatis appulisti.

Quia verò prudentiæ & fælicitatis, semper commune est, crescere, augeri, & nunquã diminui, atque adeo hominum excitare in admirationem animos, & in similium tantum aut Magnatum trahi consortium. Profectò & in istius Te societatis fælicitas vocauit communicationem, vt publici fauoris lucem, apud summos Principes, ob summam prudentiam fueris consecutus, Vt celeberrimo Simonidi Philosopho, fidem nefas sit abrogare; qui summæ fælicitatis argumentum, gratiâ apud Ciues, a-

pud eruditos, Principes, Magnates, amore plurimum valere, iudicare non dubitauit. Dedit primus, hoc Tuæ fælicitatis indicium in exteris, Thomas Minnadous Medicus & Historicus celeberrimus, cui vbi primum Tuâ innotuit prudentia, illico Te in Suam adsciuit societatem: vt labores Tuos, & ad sapientiam conatus, & summam ad gloriam contentionem, fauore illo suo augeret, & amplificaret: Neq; insignis ille & dignissimus Antiquarius, Laurentius Pignorius, qui Tuam semper in Te coluit eruditionem, amoris & coniunctionis denegauit tesseram; aduertit enim in Te, raras & egregias ingenij dotes: Facundam linguæ æloquentiam, morum incorruptam suauitatem, dexteritatem, industriam, integritatem, & in solidæ acquisitione sapientiæ constantiam. Quid verò dicam de illo, sui nominis ab obliuione vindice, Fabricio Medicorum præstantissimo, qui vt in memoriâ doctæ vigeret posteritatis, ad perscru-

ſcrutandorum humani corporis artuum, & naturæ admirandam coniunctionem inquirendam, magno ſumptu, cuius Te fecerat participem, extruxit officinam, nominis ſui immortale monumentum: quid inquam ille ſi præſentem etiam liceret ſpectare, de Tuis animi dotibus proferret; quam, Te eſſe diligentiſsimum naturæ difficilis arcanorum ſcrutatorem, ſingularum venarum, arteriarum, oſsium, prouidum & ſollicitum inueſtigatorem, vt vniuſcuiuſq; ſitum, habitum, affectiones, quantitatem facili negotio declarare poſsis, quod quidem perfecti & abſoluti Medicinæ Profeſſoris munus eſt. Sed neq; illos (quos hic honoris gratiâ nomino) noſtræ Reipublicæ Principes, tacitus præterire poſſum, qui tibi diuinâ medendi facultate inſtructiſsimo, Suam commiſerant valetudinem carandam. Quorum primus ille fuit, Tibi in exteris nationibus notiſsimus, Tuæ ſpectator laudis, & eruditionis, R̃ndiſsimus Staniſlaus Sułowski,

Abbas Tynecensis, tum ille immortali memoriâ dignissimus Senator: Illustrissimus Dux in Zbaraż Castellaneus Crac: Et Illustrissimus Ioannes Teczynski Palatinus Crac: quibus singulares & eximij, nunquam in Te amando & ornando defuerant conatus. Quo enim semper in Te fuerint animo, quomodo Tuis fauerint honoribus, quod de Te habuerint iuditium, quod prudentiæ semper dederint testimonium, illustrius est & clarius, quâm vt aliquâ commemoratione indigeat. Hâc enim perualgatâ illorum de Te commemoratione, tantisq; in arte medendi sparsis laudibus, in aulam etiam Diui Sigismundi III. Poloniæ Regis, tanquam Hyppocrates æui sui, ab Artaxerxe Persarum Rege, fuisti inuitatus. Si igitur, gratiam apud Ciues, amorem apud Eruditos, honorem apud Principes demereri, fælicitatis sunt argumenta, quanta erit horum omnium fælicitas, Regium nancisci fauorem? cum quo nulla Ciuium amore parta conferenda est fælicitas.

Ve-

Verùm enimuerò, occasio hæc, Clarissime Domine quâ ad fælicitatis Tuæ imaginem, rudi sane & incompto ingenij mei conatu, exornandam descendi, omnes omnium complexa est, & supergressa fælicitates. Recte enim felicissimum eum appelauerim, cui optimos & naturæ beneficio simillimos, virtutum, meritorumq; imitatores ardentissimos, contigerit habere filios. Non sum quidem nescius, quanta sit amplitudo prudentiæ, quàm grata virtutis possesio, quàm necessarium & effiicax fælicitatis & immortalitatis parandæ instrumentũ si quis fauore, Ciuium, gratiâ Principum, Clementiâ Regum fiat illustrior: sed quis eam satis firmam iudicabit gloriam, si orbus fuerit, & liberis destitutus? vt tantam bonorum succesionem, alieno hæredi dolens & moriens, videatur reliquisse? Magna quoque & in æstimabilis est hominum coniunctio, ciuibus charum & amabilem extitisse; sed quæ arctior societatis colligatio? quam, quæ ex immen-

immensâ generis humani societate, in angu-
stum quidem, sed arctissimum, & sui nominis,
& gloriæ, contrahitur vinculum? at hæc ipsa
est liberorum progeneratio. Quid enim cha-
rius à naturâ datum est, quam sui cuiq; liberi.
Equidem non mediocre Dei minus est, dare
liberos, excitatores generis, virtutum succes-
sores, hæredes meritorum. Sed tamen illo-
rum educatio difficilis est & laboriosa, incre-
mentum tardum, virtus verò ipsa, ita in lon-
ginquo posita, vt plerique Parentes, prius ex
hac vitâ discesserint, quàm suam illis filij vir-
tutem demonstrarent. Neocles Salaminiam
Themistoclis victoriam non vidit, neque Cym-
monis res apud Eurimedontem gestas Milti-
ades. Periclem concionantem non audiuit
Xantippus Neq; Platonem Philosophantem.
Aristo: Neq; Euripidis & Sophoclis victori-
as, Patres eorum cognouerunt. Balbutien-
tes eos tantum, & Syllabas in literas cogen-
tes audiuerunt, at in optato ad fælicitatem
cur-

curſu, nec annorum, nec maturæ fælicitatis ſaturi, obierunt. Neque poterat crudeliorem ſe illis præſtitiſſe fortuna, quàm cum tunc vitæ ademit libertatem, cum eâ fælicitate ſpoliauit, quâ ad ſummam fortunam pleniore gradu, ſed ad infortunium celeriore properarent impetu. Atque hiſce Parentibus præſtiterat non vidiſſe dignitates filiorum. Tibi Clariſsime Domine ſingulari Dei Optimi Maximi benignitate, hoc optatæ fælicitatis faſtigium adire conceſsum eſt, qui tales procreaſti filios, vt à te progeniti, in eo gloriæ & laudis genere ſtuduerint excellere, in quo ſingulari eis præluxiſti exemplo. Et ne virgulta à ſuo ceſpite diſcreparent, talibus eos inſtruxiſti Præceptis, vt merito gloriari poſsint, Patrem ſibi fuiſse ita ſapientem cuius & conſilijs vti ſcierint, & monitis obſecundare, dubitauerint nunquam. Atq; adeo tibi felicior ſit laus, ex educatorum probitate laudari, & filios adeptum eſſe adeo præſtantes: vt iacta il-

 la edu-

la educationis Tuæ semina, optimum nacta solum vberrimam eruditionis honorumq; Academicorum Tuæ expectationi, produxerint messem. Ergo inde ad huc fælicior esse incipies, cum videas eadem illa laborum Academiæ præmia Tuos assequi filios, quæ tu eruditione & laboribus, ingenio & candore, auxisti, illustrasti. Itaq; ad honorem filiorũ Tuæ renouatur dignitas Eruditionis: & laus Paterna, Filiorum redundat âd gloriam: & dignitas rursus atq ue splendor Filiorum, Tuam illustrat fælicitatem. Effusus est aliquando in lætitiam & gratulationem, Diagoræ Olimpionices nobilis, populus vniuersus Rhodensis, quod eodem fere die, duos in ludis Olimpicis, victores Filios, laureis conspexerit coronatos. Sed neque hic etiam, Tua diminuta est Fortuna, accessit & hoc ad Tuæ cumulum fælicitatis, vt quanquam non eodem die, sed intra eiusdem mensis spatium, publicè, in Tuo conspectu, & tot Clarissimorum Virorum

conses-

ſu, fauentiſsimorumq́ Patrum, Lycæi Iagelloniani præſentiâ, honorum Academicorum fierent participes: cum alterum in Artium primæ Laureæ Baccalaureum alterum Artium Magiſtrum renuntiari audiuiſti. Cui ad veterem illam nominis amplitudinem, nouam ex hac filiorum dignitate honoris acceſsionem, non iam populus Rhodenſis, ſed in primîs grauiſsimi Academiæ Proceres, deinde Ciues tui, vrbis huius viri præſtantiſsimi, tum omnes boni, & Tui nominis amantiſsimi Hoſpites, intimis ex animis gratulabantur. Illi inquam etiamnum omnes, ex quibus ego iſtam, Clariſsime Domine auſpicatus ſum fælicitatem, ætate graues, virtute candidi, eruditione præſtântes viri, fauſtam fælicem, fortunatam, Tibi, & filijs Tuis, nominis, & generis ampltudinem, gratulabantur. Filij autem ipſi, beneficiorum memores & grati, ſummâq́ geſtientes letitiâ,

tiâ, Laureas suas, in Tuum sinum Paternum, submisse & reuerenter reponunt. A me verò non aliud laureatæ Tuæ fælicitatis præstolare auspicium, sed hoc vnicum vniuersæ gratulationis compendium; nominis Tui celebritatem, in Filijs, bonis, & præstantibus collocatam, neq; annorum, neq; temporum iniuria intermorituram. Modo Deus Opt: Max: ad maiora in Filijs spectanda honorum incrementa, seruet saluum & incolumem, fælicem & fortunatum: quod ego Clarissime Domine Doctor Tibi pro summâ Tuâ in me humanitate, gratiâ, hospitalitate, beneuolentiâ, officiosissimè gratulor, atq; submisse apud eundem bonorum omnium largitorem, & authorem Deum comprecor.

D. I. X. I.







